



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiæ Augustæ Scriptores VI

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius
Lampridius. Flavius Vopiscus

Spartianus, Aelius

Lugduni Batavorum, 1671

Flavii Vopisci Syracusii Florianus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)

esse dicere quemadmodum ceperit consulatum: ¹ at in isto viro magnificum fuit quod tanta gloria cepit imperium. Gessit autem propter brevitatem temporum nihil magnum. ² Interemptus est enim infidiis militaribus, ut alii dicunt, sexto mense: ³ ut alii, morbo interiit. Tamen constat, factionibus eum oppressum, mente atque animo defecisse. Hic idem menssem Septembrem TACITUM appellari iussit, ⁴ idcirco quod eo in mense & natus & factus est imperator. ⁵ Huic frater FLORIANUS imperio successit, de quo pauca ponenda sunt.

¹ *At in isto viro magnificum fuit.]*
Vet. editio: *At isto viro magnificum fuit. quod non prætulerm vulgata, non tamen prorsus etiam improbavim.*

⁵ *Idcirco quod eo in mense.]* Quod eo mense.

⁶ *Huic frater Florianus imperio successit.]* In Imperio successit. lege mox uno tenore: de quo pauca ponenda sunt. Hic frater Taciti germanus fuit, qui post fratrem arripuit imperium. ita libri, itaque etiam hæc continuanda jam observantur viri docti.

CASAUBONUS.

² *Interemptus est infidiis militaribus.]* Occasionem cædis narrant Zosimus & Zonaras.

³ *Ut alii, morbo interiit.]* Victor vulgaris, Tacitus ducentesimo imperii die apud Tarsum febrim moritur. in numero dierum consentit Eutropius, qui in imperio ait fuisse menses duos & dies xx.

GRUTERUS.

⁵ *Quod eo mense.]* Sic Palatinus. alii editi, quod eo in mense.

FLAVII VOPISCI SYRACUSII FLORIANUS.

¹ Hic frater Taciti germanus fuit, qui post fratrem arripuit imperium, ² non senatus auctoritate, sed

CASAUBONUS.

¹ *FLAVII VOPISCI SYRACUSII FLORIANVS.]* Inducendus hic titulus, & sequentia superioribus connectenda: est enim unicus liber, ut initio diximus.

² *Hic frater Taciti germanus fuit, q.]* Scribendum, non germanus. nisi alios hic sequitur auctores, alios infra,

ubi, *diversis patribus, ait, nati feruntur.* apparet ex ipsis nominibus: nam Tacitus dicitur in nummis, CLAUDIVS TACITVS. at Florianus nominatur, M. ANNVS FLORIANVS.

³ *Non senatus auctoritate.]* Adde, neque militum suffragiis. Aurelius Victor: nullo senatus seu militum consilio imperium invasit.

¹ *Adju.*

sed suo motu, quasi hereditarium esset imperium: quum sciret ¹adjuratum esse in senatu Tacitum, ut quum mori cœpisset, non liberos suos, sed optimum aliquem principem faceret. Denique vix duobus mensibus imperium tenuit, & ²occisus est Tarsi à militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat. ³Tantus autem Probus fuit in re militari, ut illum senatus optaret, miles eligeret, ipse populus Rom. acclamationibus peteret. Fuit etiam Florianus morum fratris imitator, nec tamen usquequaque. ⁴Nam effusionem in eo frater frugi reprehendebat: & hæc ipsa imperandi cupiditas aliis eum moribus ostendit fuisse quam fratrem. Duo igitur principes una extiterunt domo: quorum alter sex mensibus, alter vix duobus imperaverunt, ⁵quasi quidam inter-

inter-

¹ *Adjuratum esse in senatu Tacitum.*] Superiora illa verba respicit ex oratione Metii Falconii, *te Tacite Auguste convenio, petens, obsecrans, &c.* nam *te convenio* eo loco idem ac, *te adjuro.* ut sæpe apud mediæ Latinitatis scriptores.

² *Occisus est Tarsi à militibus, &c.*] Unus est Zosimus qui memoriam rerum inter Probum & Florianum gestarum conservavit. eum lege. De Floriani morte eadem Aurelius Victor Schotti ac Vopiscus: sed alter Victor sic tradit: *Florianus dierum sexaginta quasi per ludum imperio usus, incisis à semetipso venis, effuso sanguine consumitus est.* tribuit Florianò quod alii Quintillo Claudii fratri, cujus in simili causa simile exitium: nam de eo Zosimus: fertur, ait, Quintillum simulac intellexit factum imperatorem Aurelianum, consilium à suis accepisse, ut se ipse interimeret, ac longe potiori cederet imperio: *ὁ δὲ καὶ πεποιηκέμεν λέγει τὴν ἰατρῶν πρὸς φλέβας τεμῶν αὐτῶν, καὶ ἐν δὲ τῷ ῥεῖσθαι τὸ αἷμα, μέχρις αὐτῶν ἐπιέρω.* eadem & Zonaras.

SALMASIUS.

³ *Tantus autem Probus fuit in re militari.*] Palatini scriptura: *intere militare, an legemus, inter militares? non melius fuerit aliquid mutasse.*

⁴ *Nam effusionem in eo frater frugi reprehendebat.*] Effusionem heic vocat quam alii profusionem. sic supra, *sumptus effusione* dixit. sed & *effundere* apud Ciceronem multis locis est profunderere & prodigere. ut apud Comicum, *Effundite, emite, facite.* fundere etiam pro eodem usurpabant. Sammonicus:

— pretiosa tamen cum veneris emptiam, Falleris frustra que immensa nominata fundes.

unde *fusiones* dictæ sunt illationes tributorum. *fusia, εἰσφορῆς διηροσίαν.* *fusiones, εἰσφορῆς.* hinc *refundere.* quid sit sciunt, qui Latine sciunt.

⁵ *Quasi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, post interregnum principes nuncupati.*] Locum hunc esse vitium nemo non sentit. quo veto vitii genere laboret, nemo adhuc animadvertit. exploratum plane mihi est, illa verba subdititia esse, *post interregnum*

interreges inter Aurelianum & Probum, ¹ post inter-
 2 regnum principes nuncupati. ² Horum statuæ fue-
 runt Interamnæ duæ pedum tricenum ex marmore,
 quod illic eorum cenotaphia constituta sunt in solo
 proprio: sed dejectæ fulmine, ita contritæ sunt ut
 membratim jaceant dissipatæ, quo tempore respon-
 sum est ab aruspibus, quandoque ex eorum familia
 imperatorem Romanum futurum, seu per foeminam,
 seu per virum, qui det judices Parthis ac Persis: qui
 Francos & Alemanos sub Romanis legibus habeat:
 qui per omnem Africam Barbarum non relinquat: qui
 Taprobanis præsidem imponat: ³ qui ad Romanam
 insu-

regnum principes nuncupati. quæ à nescio
 quo sciolo sunt adjecta, qui legerat in
 vita Taciti, de interregno quod se-
 quutum est mortem Aureliani per
 sex menses integros, post quod inter-
 regnum electus est Tacitus impera-
 tor. atqui non heic agit Vopiscus de
 illo interregno; sed respectu brevitatis
 imperii horum duorum impera-
 torum, quasi quosdam interreges
 fuisse videri ait inter Aurelianum &
 Probum. vix enim octo menses in
 imperio fuerunt hi duo principes.
 quod temporis spatium, propter bre-
 vitatem, interregni magis quam regi-
 ni videri possit. legendum igitur, il-
 lis quæ diximus resectis & expun-
 ctis: Duo igitur principes una extiterunt
 domo: quorum alter sex mensibus, alter vix
 duobus imperaverunt, quasi quidam inter-
 reges inter Aurelianum & Probum. Ho-
 rum statuæ fuerunt Interamnæ.

CASAUBONUS.

¹ Post interregnum principes nuncupa-
 ti.] Suspecta hæc mihi. causam &
 tacente me lector acutus facile conjiciet.

² Horum statuæ fuerunt Interamnæ d.]
 Non dissimulabo inventam in regio
 lectionem, etsi parum mihi probam:
 H. st. fuerunt in via Romana d.

³ Qui ad Romanam insulam proconsu-

lem mittat.] Lego, ad Britanniam insu-
 lam de ea hæc debere intelligi ne
 ambigendum quidem cenleo. quare
 sive emendationem admittas, quam
 putamus necessariam, sive vulgatam
 probes, Britannia omnino intelligi-
 tur: quam insulam Procopius nomi-
 nat τῆς ἐν τῷ ἠγαθῷ ἠγλαῖω ἡσων ἀπεισῶν μεγάλῃ. ὡς ἂν ποιοῦ-
 ἔστω. Græci auctor. sæpe non alio no-
 mine Britanniam nuncupant, quam
 magnæ insulæ. Aristides in Aegyp-
 ta oratione: τὸ ἄρ' ἐστὶν ἀκρόασι τῶν
 τῶν μεγάλῃ ἡσων περιεπερῆσιν, τῶν
 ἀντιπείρας Ἰθίων. & panegyrica in
 Romam: ὅσων Αἰθιοπίαις τὸ ἐπιπέ-
 ρηρον, καὶ Φάσις ἐυθένης, καὶ Εὐφρο-
 σῆς ἀνω, καὶ ὡς ἐστὶν ἡ μεγάλῃ καὶ
 τελευταία ἡσων ἐν τῷ δόσικλειστο.

SALMASIUS.

³ Qui ad Romanam insulam proconsu-
 lem mittat.] Indubitata emendatio est
 ad magnam insulam. Britannia dicta
 καὶ ἑξοχλῶ magna insula, quod om-
 nium insularum sit longe maxima.
 sic Græci μεγάλῃ ἡσων eam appel-
 lant. ut Oceanum ipsum, μεγάλῃ
 θαλάσσει, ad distinctionem Maris
 Mediterranei. Eustathius, τῶν δὲ
 μεγάλῃ Βρετανικῶν ἡσων οἱ πελάγει
 τῆς ἡσων

insulam proconsulem mittat: ¹ qui Sarmatis omnibus
 iudicet: ² qui terram omnem quam Oceanus ambit,
 captis omnibus gentibus, suam faciat: postea tamen
 senatui reddat imperium, & antiquis legibus vivat
 ipse victurus annis cxx. & sine herede moriturus. Fu-
 turum autem eum dixerunt ³ à die fulmine præcipitatis
 statuisque contractis post annos mille. Non magna
 hæc urbanitas aruspicum fuit, ⁴ qui principem talem
 post mille annos futurum esse dixerunt? quia si ⁵ post

cen-

τησανον ισουσαν ειναι το χιμαλι.
 Dionysius Periegetes:

Των τοι μεζεθω παλαιων εδης
 αλλη
 Νησις εν πασησι Βρετανισιν ισουσα
 εστι.

¹ Qui Sarmatis omnibus iudicet.] Hoc
 est, iudicem imponat. idem enim vo-
 lunt omnes ista loquutiones: Tapro-
 bonis præsidem imponere: ad magnam in-
 sulam proconsulem mittere: Sarmatis ju-
 dicare. sic Ιουρολοισι δικιζειν dixit
 Christodorus in epigrammate, cum
 de proconsule illuc misso loqueretur.
 lib. II. Antholog.

Εις τα ατρας δι ανιλαμψε, εν Ιαυ-
 ελαισι δικιζων
 Μιστες εν καθαρω ενεφανασε
 δικω.

CASAUBONUS.

² Qui terram omnem quam Oceanus
 ambit.] Membrana, qua Oceano am-
 bitur.

³ A die fulmine præcipitatis statuis-
 que.] Fulminis præcipitati, statuisque
 conf.

GRUTERUS.

² Qui terram omnem qua Oceano am-
 bitur.] Sic & Pal. & aliorum mss. nam
 vulgg. quam Oceanus ambit.

⁵ Post centum annos prædicerent fore,
 possent eorum.] Pal. prædiceret, forte
 possent. uterque non male.

SALMASIUS.

⁴ Qui principem talem post mille annos

futurum esse dixerunt.] Duplici malo
 laborat hic locus; traiectione verbo-
 rum, & defectu. transpositionem nos
 ipsi odorati sumus. defectum vero u-
 nius vocabuli in quo totius senten-
 tiæ integritas erat posita, nobis pro-
 didit liber Palatinus, & supplevit:
 nam post illa verba, possent eorum de-
 prehendi mendacia, idem addit, pollicen-
 tes cum vix talis remanere possit historia.
 quod verbum etiam in veteri & pri-
 ma editione comparet. quare omi-
 terint recentiores editiones, nescio.
 certe absque eo non constat senten-
 tiæ sinceritas. sed traiectione, ut di-
 ximus, non leviter impuratus est hic
 locus. quam sic ordine restituto, per-
 sanabis: Non magna hæc urbanitas aru-
 spicum fuit, qui principem talem post mille
 annos futurum esse dixerunt, pollicentes,
 cum vix remanere talis posset historia.
 quia si post centum annos prædicerent fore,
 possent eorum deprehendi mendacia. pro fore,
 forte legunt Pal. & ed. sed vulgatam
 malim. de huius loci restitutione,
 quin recta sit & vera, nemo, opinor,
 dubitabit. quis enim non animad-
 vertebat illa verba, quum vix remanere
 talis posset historia, & manca esse, &
 non suo loco posita: hanc enim urba-
 nitatem aruspicum lepide tangit heic
 Vopiscus, qui principem qualem an-
 tea descripsit, post mille annos futu-
 rum polliciti sint, cum eorum prædi-
 ctionis, & totius ejus rei memoria
 vix posset extare. quia si post centum
 annos eum futurum prædixissent,
 memoria adhuc recenti, potuisset eor-
 rum

centum annos prædicerent fore, possent eorum deprehendi mendacia, quum vix remanere talis possit historia. Ego tamen idcirco hæc inferenda volumini
 3 credidi ne quis me legens legisse non crederet. Tacitus congiarium populo Romano intra sex menses vix dedit. Imago ejus posita est in Quintiliorum¹ in una tabula quincuplex, in qua semel togatus, semel chlamydatus, semel armatus, semel palliatus, semel venatorio habitu. De qua quidam epigrammatarius ita lufit, ut diceret, *Non agnosco senem armatum, non chlamydatum inter cetera, sed agnosco togatum.* Et Floriani liberi & Taciti multi extiterunt: quorum sunt posterii credo millesimum annum expectantes.³ In quos multa epigrammata scripta, quo jocati sunt aruspices imperium pollicentes. Hæc sunt quæ de vita Taciti atque Floriani digna memoratu comperisse memini. Nunc nobis aggrediendus est **PROBUS**, vir domi forisque conspicuus: vir Aureliano, Trajano, Adriano, Antoninis, Alexandro, Claudioque præferendus:⁴ nisi quia in illis varia, in hoc omnia præcipua tunc fuere: qui post Tacitum omnium iudicio bonorum imperator est factus, orbemque terrarum pacatiffi-

rum responsum mendacii revinci caverunt igitur sibi, prædictionum suarum eventum, post tam longum tempus pollicentes.

1 *In una tabula quincuplex.* Pal. quincuplex. sic quinquiplex tabella, in lemmate epigrammatis apud Martialem in veteribus libris.

CASaubonus.

2 *Non chlamydatum inter cetera.* Aliter volui editum: nam illa inter cetera non sunt poëta epigrammatarii, ut præcedentia & sequentia verba; sed ipsius Vopisci. ponit autem principium epigrammatis, & finem. Totius carminis facile ex istis sensus pa-

tet. Passim in Vopisci libellis leges illa verba, *inter cetera*, cum alicujus scripti partem solum ponit. scilicet quoque.

3 *In quos multa epigrammata scripta, quo jocati sunt arusp.* Scribendum, *quæ*, sive quibus. verbum *jocari* passimve accepit.

4 *Nisi quia in illis varia, in hoc omnia præcipua tunc fuere.* Vix fero illud tunc, quod tamen retinent membrana, sed alio loco: in hoc omnia tunc præcipua fuere.

GRVTERVS.

3 *In quos multa Epigrammata, quo jocati.* Sic & Pal. sine eo scripta, quod in vulgg.

1 De

tiffimum gubernavit, deletis Barbaris gentibus, deletis etiam plurimis tyrannorum, qui ejus temporibus extiterunt: ¹ de quo dictum est ut Probus diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset. ² Quem quidem multi ferunt ³ Sibyllinis libris fore promissum: qui si diutius fuisset, orbis terræ Barbaros non haberet. ⁴ Hæc ego in aliorum vita de Probo idcirco indidi, ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret, ne fatali

CASAUBONUS.

¹ De quo dictum est, ut Probus diceretur, c.] Clarum est quomissum aliquid. Lege, de quo dictum est, dignum esse, ut Probus diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset. hæc certe sententia est: sed adscripseritne auctor verba necessaria, an supplenda lectori omiserit, non possum affirmare. alludit autem ad Valeriani verba de Probo, *vere probo*, inquit: *quod nisi nomen haberet, potuit habere cognomen.*

³ Sibyllinis libris fore promissum.] Fore dixit pro fuisset. similes temporum *ἑξακαισίων* ante notabamus.

⁴ Hæc ego in aliorum vita de Probo indidi, n.] Unde illa, *idcirco indidi?* nam omnes membranæ, credidi prælibanda.

⁵ Ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicant, n.] Lego, *ne si dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret in me, fatali necessitate absumptus, Probo indicto perirem.*

SALMASIUS.

¹ De quo dictum est, ut Probus diceretur, etiam si Probus nomine non fuisset.] Ut pro quod: & diceretur, pro dictus esset. usitata temporum enallage istis auctoribus. valet igitur: de quo dictum est, quod Probus diceretur, (vel dictus esset,) si Probus nomine non fuisset. placet tamen eruditissimo Casaubono hæc aliquid deesse. mihi non placet.

⁵ Ne dies, hora, momentum, aliquid sibi vindicaret, ne fatali necessitate absumptus Probo indicto deperirem.] Repone scripturam Palatini codicis, & vet. edit.

Tom. II.

Hæc ego in aliorum vita de Probo indidi, ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret in me necessitate fatali, ac Probo indicto deperirem. nulla enim littera minus aut amplius sic legunt. mirum est quantum, & hæc & alibi toto hoc passim libello, & sequentibus, correctorum natio sibi licere voluerit, qua truncando, qua amplificando, & quibus non modis corrumpendo, pervertendoque veterem scripturam.

GRUTERUS.

¹ De quo dictum est ut Probus diceretur, etiamsi, &c.] Hoc est, cui uno consensu populus imposuisset Probi nomen, si illud non prætulisset nomine.

² Quem quidem multi ferunt, etiam Sibyllinis libris promissum.] Ita recte Pal. nam vulgg. *quem quidem multi ferunt Sibyllinis libris fore promissum. quod ineptit.*

⁴ Hæc ego in aliorum vita de Probo credidi prælibanda.] Est à scriptis univ. sis: pro quo obtruserant nobis typographi: *De Probo idcirco indidi.*

⁵ Ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret, ne fatali necessitate absumptus, Probo indicto deperirem.] Nihil in his sani; nec multum saniora in Palat. *ne dies ora momentum aliquis sibi vindicaret in me, necessitate fatali, ac Probo indicto deperirem. apparet tamen legendum: ne si dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret in me necessitate fatali, Probo indicto deperirem.*

R 1

1 Nunc

tali necessitate absumptus Probo indicto deperirem.
 1 Nunc claudam volumen, satisfactum arbitrans studio
 4 & cupiditati meæ. Omina imperii Tacito hæc fuerunt: Fanaticus quidam in templo Sylvani tensis membris exclamavit, ² *Tacita purpura, tacita purpura.* (³ idque septimo) Quod quidem postea omni deputatum est. Vinum quo libaturus Tacitus fuerat ⁴ in templo Hercu-

SALMASIUS.

1 Nunc claudam volumen satisfactum arbitrans.] Unde hæc lectio emanarit, non possum dicere. sed unde putamus, nisi ex correctorum officina? Palatin. in hac parte corruptissimus, scriptum præfert: *nunc qui interim studio meo satisfactum arbitrans studio ac cupiditati meæ.* prima editio, cujus auctorem ubique vestigiis in hæsisse veteris lectionis perspexi, sic habet: *nunc quo Claudium volumen satisfactum arbitrans.* nec dubium est, quin illa præverit recentioribus editoribus ad hanc, quæ nunc libros omnes occupat, lectionem: quam ne veram putare possimus, multa faciunt: sed illud maxime, quod cum heic volumen claudere se dicat, minime tamen claudat, sed multa subjiciat de ominibus & imperii & mortis quæ Tacito acciderunt, & alia quædam. deinde quod interjectis illis omnibus, postremo addit: *& quoniam me promisi aliquas epistolas esse positurum quæ creato Tacito principe gaudia senatus ostenderent, his additis finem scribendi faciam.* cum igitur ibi demum polliceatur se finem volumini clausulamque facturum, cur heic alieniore loco idem promittit, & præ se fert? Quod ad verba ipsa Vopisciatinet, non possum ea integra ex illis ruderibus Palatinæ scripturæ excitare: sententiam sane ipsius mentemque hanc apparet fuisse: *Hæc ego in aliorum vita de Probo idcirco indidi, ne dies, hora, momentum, aliquid in me sibi vindicarent necessitate fatali, ac Probo indicto deperirem. Nunc quando moriar, nihil curo, satisfactum arbi-*

trans studio & cupiditati meæ. his aut familiaribus verbis usus erat hoc loco Vopiscus. nam de sententia, quin hæc ipsissima ejus fuerit, attentius consideranti nihil dubitationis relinquitur.

3 Idque septimo.] Ita constanter veteres omnes. quo magis miro Casaubonum ex suis produxisse, idque septies. Septimo pro septies his auctoribus familiare est. Trebellius in Galieno: *lavit ad diem septimo: astate vel sexto: hyeme secundo vel tertio.*

4 In templo Herculis Fundani, subito purpureum factum est.] Hinc colligas Fundana vina, quorum apud Plinium mentio, alba fuisse. nam vinum quo libaturus erat Tacitus in templo Herculis Fundani, subito purpureum factum est, hoc est sanguineum. vulgo dicimus in idiomatico nostro, *clairet.* nam & clara purpura est, quam Græci *ὀζέταν* appellant. purpureus & sanguineus color idem. Plinius inter vini colores, sanguineum recenset, atque is est quem diximus.

CASAUBONUS.

2 Tacita purpura, tacita purpura: idque septimo.] Scripti: *Taciti purpuram: Taciti purpuram: idque septies.*

GRUTERUS.

2 Taciti purpuram, Taciti purpuram.] Sic bene mss. Gallicani. nam Pal. accedit vulgatis, *Tacita purpura, tacita purpura:* in quo forsân idem sensus, sed non tam evelatus.

Herculis Fundani, subito purpureum factum est. ¹ Vitis quæ uvas Amineas albas ferebat, eo anno quo ille imperium meruit, ² purpurascere plurima purpura cœpit. Mortis omina hæc fuerunt: Patris sepulcrum disruptis januis se aperuit: matris umbra se per diem & Tacito & Floriano velut viventis obtulit; nam diversis patribus nati ferebantur: in larario dii omnes seu terræ motu, seu casu aliquo conciderunt. ³ Imago Apollinis quæ ab his colebatur, ⁴ ex summo fastigio

SALMASIUS.

¹ *Vitis quæ uvas Amineas albas.* Vetus scriptura: *Aminias*. ita Græci *Ἀμινίων οἴνον* dicunt. Servius quoque ad locum poëtæ,

Sunt & Amineæ vites — duplicem eam litteram agnoscit: *Sane Aminium dici versus probat qui stare non potest, si Amineum dixerimus*. ita enim legenda Servii verba. *Aminium* autem potius quam *Amineum* veteres scripsisse testes Grammatici, qui vinum illud dictum Aminium censent, quasi sine minio, hoc est rubore, quod album esset. hoc quidem verum est de Aminia alba. sed in nigra qui potest verum esse? sunt enim Amineæ uva nigra & alba. sic eluditur acumen Grammaticorum. & recte Vopiscus hoc loco: *vitis quæ uvas Aminias albas ferebat*. nam si Amineæ nullæ nisi alba, quid opus erat *albas* addere? sic autem aliud genus vitis Taminiam dictam putabat Verrius, quod tam rubra esset quam minium. sic enim apud Festum emendandum. quod nescio an alii viderint.

² *Purpurascere plurima purpura cœpit.* Nonne satis erat dixisse, *purpurascere cœpit*, vel *purpureas attulit*? sed correctores heic operam navarunt non bonam. sic enim scriptum fuit in veteri libro, & prima editione: *purpurascere plurima purpurea facta sunt*. quam diversa scriptura? patet vel cæco aliquid deesse, præter vitium lectionis, quod emendare conati, vitio majore

re affecerunt. nos totum hunc locum sic putamus ab auctore fuisse conceptum: *Vitis quæ uvas Amineas albas ferebat, eo anno quo ille imperium meruit, purpureas tulit: sed & alia plurima purpurea facta sunt*. Habes multa aliarum rerum exempla quæ purpureæ sunt factæ & omni imperii reputatæ, in superiorum imperatorum vitis.

CASAUBONUS.

³ *Imago Apollinis quæ ab his colebatur, ex f.* Recte, *ab his*: & ita scripti: id est, à Tacito & Floriano: qui privata religione Apollinis hanc imaginem venerabantur. Referendum autem istud ad cubiculares imagines, de quibus notabamus ad secundum Suetonii, capite VII. cum igitur in cubiculo posita esset hæc imago loco aliquo sublimi ac cælo; reperta est postea in lecto collocata, sine cujusquam manu.

SALMASIUS.

⁴ *Ex summo fastigio in lectulo posita sine cujusquam manu deprehensa est.* Summum heic fastigium, locum aliquem celsum in cubiculo intelligi volunt, in quo illa imago posita esset. ego de fastigio potius domus intellexerim, in quo Deorum imagines & statuas collocari moris erat, quemadmodum & in fastigiis templorum locabantur. Spartianus in Pescennio: *domus ejus hodie Romæ visitur in qua simulacrum ejus in trichoro constituit*. ad quem

gio in lectulo posita ¹ sine cuiuspiam manu deprehen-
 5 sa est. ² Sed hæc sunt quæ à plerisque dicuntur. Nos
 ad Probum & ad Probi gesta insignia revertemur. Et
 quoniam me promisi aliquas epistolas esse positurum
 quæ creato Tacito principe gaudia senatus ostende-
 rent, his additis, finem scribendi faciam. Epistolæ
 publicæ. *Senatus amplissimus curiæ Cartbaginensi S. D.*
Quod bonum, faustum, felix salutareque sit Reipubli-

C. & O.

quem locum vide quæ notamus. Vi-
 ctoria enim & Deorum imagines, &
 alia simulacra in fastigio domus po-
 nebantur. quod abunde testatur hoc
 epigramma Antipatri, quod placet
 subjicere, ut & explicemus, & ali-
 quot mendis, quibus scateret, purge-
 mus. sic autem habet:

Τέσσερες αἰωροῦσι πανυπερύζων
 ἐπὶ νότων

Νίκῃ ἰσηλόμενος ἕβας ἀθανάτων.

Α' μὲν Ἀθωαίων πολεμολόγον, α'
 δ' Ἀφροδίταν,

Α' δὲ τὴν Ἀλκείδαν, α' δὲ ἀφόβη-
 τον Α' ἴην.

Σείο καὶ Διόσφορον γραπτὸν τέ-
 γον, ἐς δὲ νεόν)

Οὐρανὸν, ὃν Ῥώμης Γαίης πύ-
 τρας ἔρυμα.

Θείῃ ἀνίκῳ μὲν ὁ Βασίλειον, α'
 δὲ γὰρ Κύπρις

Εὐχαμὸν, Διμήλην Παλλὰς, α'
 τρεῖς ἄρῃς.

In fastigio domus illius Gaji quatuor
 Victoriæ privatæ, & quasi in cælum
 ascensuræ erant posita, singulæ fe-
 rentes unum ex Diis illis qui in epi-
 grammate memorantur. non igitur
 pictæ illæ Victoriæ in camera vel la-
 cunari cubiculi, sed in fastigio do-
 mus ex gypso vel ære factæ. & perpe-
 ram legunt & accipiunt interpretes
 ea verba, Σείο καὶ Διόσφορον γραπτὸν
 τέγον. quæ manifesto ita sunt dis-
 jungenda ut posuimus. γραπτὸν au-
 tem τέγον vocat, quod calaturis &
 sculpturis domuum fastigia ornaren-

tur, atque etiam auro pingentur,
 sicut & templorum: ut videre est
 apud Plinum lib. xxxv. cap. xii. Vi-
 ctorias vero & alia deorum simula-
 cra, in fastigiis constitui solita, ita
 notum est ut pluribus probati non
 mereatur. Pausanias: τῆς δὲ ἐπὶ τοῖς
 αἰετοῖς Ἡρακλῆος καὶ Νίκῃς αἰετὸς τοῖς
 πέρασιν εἶσιν. sic hæc imago Apolli-
 nis, quæ colebatur à Tacito & Flo-
 riano, in fastigio domus ipsorum
 erat constituta, & sine alicujus ope-
 ra reposita est in lectulo posita. Sane
 ut omnia facias, non possis aliter
 summum hoc loco fastigium interpreta-
 ri, quam de fastigio domus. de quo
 nos ad vitam Pescennii plura.

1 Sine cuiuspiam manu.] Addit Pala-
 tinus: sine hominis cuiuspiam manu.

2 Sed hæc sunt quæ à plerisque dicun-
 tur.] Cur displicuit nasutus istis verus
 lectio quæ ita habebat: sed quo usque
 ultra progredimur? sunt à quibus ista di-
 cantur. Nos ad Probum & Probi gesta in-
 signia referremur. Profecto nihil ha-
 bet, quod merito illos debuerit of-
 fendere. immo verissima est, & hoc
 loco reponendâ. eamque etiam ag-
 noscit editio prima, ne scripta tantum
 auctoritate niti videamur. illud
 vero referremur pro revertemur, eidem
 illi editioni debemus, etsi ut verum
 fatear, non plane damnandum sit,
 revertemur. nam de Probo jam aliquid
 supra prælibavit. quod fortasse non
 cogitabat, qui referremur nobis sup-
 posuit.

1 Omnis

ca orbique Rom. dandi jus imperii, appellandi principis, nuncupandi Augusti, ad nos revertit. Ad nos igitur referte quæ magna sunt. ¹ Omnis provocatio præfecti urbis erit: quæ tamen à proconsulibus & ab ordinariis iudicibus emerferit, in quo quidem etiam vestram in antiquum statum redisse credimus dignitatem, siquidem primus hic ordo est qui recipiendo vim suam, jus suum cæteris servat. Alia epistola. Senatus amplissimus curiæ Trevirorum. Ut estis liberi & semper fuistis, letari vos credimus. Creandi principis iudicium ad senatum redit, simul etiam præfecturæ urbanæ appellatio universa decreta est. Eodem modo scriptum est Antiochenis, Aquileiensibus, Mediolanensibus, Alexandrinis, Thesalonicensibus, Corinthiis & Atheniensibus. Pri-
vatae autem epistolæ hæc fuerunt. ² Autronio, justo patri, ³ Autronius Tiberianus salutem. ⁴ Nunc te pater sancte interesse decuit senatui amplissimo, nunc sententiam

¹ Omnis provocatio præfecti urbis erit.] Corruptissime idem liber: omnis provocatio quæ urbis erit.

CASAUBONUS.

² Autronio, justo patri, A.] Scribendum, Autronio Justo patri, A.

⁴ Nunc te pater sancte int.] Sic iterum mox, etiam in compellatione patris: neque aliter membranæ. etsi videtur mirum. nam sanctus pater apud Virgilium manifestam causam habet.

GRUTERUS.

³ Autronius Tiberianus.] Palat. Ty-
sirianus.

SALMASIUS.

⁴ Nunc te pater sancte.] Patrem & patrum sanctos heic appellari non magis mihi mirum videtur, quam vi-
ram sanctum dici, pro viro probo & integro, & sanctos mores, & sanctitudinem morum. quæ loquendi genera passim apud scriptores etiam non

Christianos reperire est. ac de imperatoribus quidem minus mirum est, quos sanctos & sanctissimos dominos multis horum auctorum locis videmus appellari. quis vero non miretur ita compellari milites ab imperatore? sic enim in concione Taciti ad milites: At me, sanctissimi milites, primum vos qui scitis principes adprobare, &c. sic infra in Firmo: sanctissimi Quirites. sic vitæ sanctimonia apud Capitolinum: alter ita clarus nobilitate est, ut & morum lenitate erip. sit necessarius & vitæ sanctimonia, quam à prima ætate in studiis semper ac litteris tenuit. Adde quod pater hoc nomine compellatur à filio. sanctam autem & reverendam patris personam filiis debere esse Jurisconsultus dicit. hinc sancti principes, qui populi patres, & patriæ. sic sanctissimis parentibus, sanctissimo patrono, sanctissimo patri, sanctissime matri, sanctissimo socero, sanctissima socii, passim in veteribus inscriptionibus occurrunt.

tiam dicere, ¹ quum tantum auctoritatis amplissimo ordini creverit ut revertat in antiquum statum Resp. & nos principes demus, ² nos faciamus imperatores, nos denique nuncupemus Augustos. Fac igitur ut convalescas, Curia interfuturus antiqua. ³ Nos recepimus jus proconsulare, redierunt ad praefectum urbis appellationes omnium potestatum & omnium dignitatum. Item alia. ⁴ Claudius Capellianus ⁵ Cereio Metiano patruo S. ⁶ Obtinuimus pater sancte quod semper optavimus: in antiquum statum senatus revertit. Nos principes facimus, nostri ordinis sunt potestates. Gratias exercitui Romano & vere Romano: ⁷ reddidit nobis quam semper habuimus potestatem.

Abji-

¹ Quum tantum auctoritatis amplissimo ordini creverit.] Non deterius Palatinus & edit. vet. quum tantum auctoritas amplissimi ordinis creverit. sequitur in iisdem libris: ut revera in antiquum statum reip. nos principes demus. cui lectioni possem suam & aptam expositionem reddere, nisi magis placeret vulgata.

² Nos faciamus imperatores, nos denique nuncupemus.] Lege ex iisdem membranis: Nos facimus imperatores, nos denique nuncupamus. sic infra: Nos principes facimus, nostri sunt ordinis potestates. & imperatores damus. principes facimus.

³ Nos recepimus jus proconsulare.] Habebat jus proconsulare senatus, quoties penes ipsum erat proconsules creandi potestas, & proconsulares provincias ordinandi. quam potestatem multi sibi vindicavere imperatores, qui populi provincias, haud minus quam suas ordinabant, & proconsules qui populi erant magistratus creabant. at boni principes hoc non fecere, qui jus illud proconsulare senatui remiserunt: inter quos Tacitus, ut ex hoc loco cognoscimus. & Probus, ut scribit Vopiscus infra: Accepto igitur hoc S. C. secunda oratione, permisit patribus ut ex

magnorum iudicium appellationibus ipsi cognoscerent, Proconsules crearent, legatos proconsulibus darent. sic ex sententia senatus provincias proconsulares ordinavisse Alexandrum Severum narrat in ejus vita Spartianus.

⁴ Claudius Capellianus.] Claudius Sappilianus. ita vet. ed. cum Palatino.

⁵ Cereio Metiano.] Idem: Marciano.

⁶ Obtinuimus pater sancte.] Mira constantia librorum legentium: Optimus pater sancte. aut valde fallor, aut legendum est: obtinemus pater sancte quod dudum optavimus.

CASAUBONUS.

⁴ Claudius Capellianus Cereio Metiano p.] Capellianus iste filius fortasse illius fuit, de quo in Gordianis. Cerejam gentem Romanam hic solum legi, Cerelliam saepe. at regius eam vocem hic non agnoscit.

⁷ Reddidit nobis quam semper habuimus potestatem.] Probus imperator in oratione prima ad senatum: Vos estis mundi principes & semper fuistis & in vestris posteris eritis.

GRUTERVS.

⁵ Cereio Metiano patruo.] Haud aliter Palatinus, nisi quod is Mecciano.

I. C. 224

Abjice Bajanos Puteolanosque secessus. Date urbi, date curia. Floret Roma, floret tota Resp. Imperatores damus, principes facimus: possumus & prohibere, qui cœpimus facere. Dictum sapienti sat est. Longum est omnes epistolas connectere, quas reperi, quas legi. Tantum illud dico, senatores omnes ea esse lætitia elatos, ut domibus suis omnes albas hostias cæderent, imagines frequenter aperirent, albatu federent, 'convivia

sum-

CASAUBONUS.

[I Convivia sumptuosiora prævenirent.] Sic lectio vetus: cum tamen postulare sententia videatur, vel instruerent, vel præberent, vel tale quid. Sed magis est, ut nihil mutemus, & aliis exemplis novæ dictionis, quæ in his auctoribus multa, istud adjiciamus. nam *convivia prævenire* dixit, pro *ἀπρωτίων ἀπὸ ἀγῶν*, solito maturius adire. hæc sunt quæ vocabant tempestiva convivia, quod temporius adirentur, passim à scriptoribus reprehensa: sed cum voluptatis solum gratia celebrarentur; non cum in festi diei honorem, aut ex occasione tanti gaudii quantum hoc fuit.

GRUTERUS.

[I Convivia sumptuosiora prævenirent.] Ita & Pal.

SALMASIUS.

[I Convivia sumptuosiora prævenirent.] Eleganter Vopiscus *convivia præveniri* dicit, ad quæ venit hora solita maturius. ut fere moris erat in conviviis sumptuosioribus. Catullus: *Vos convivia sumptuosa lante De die facitis.* — ea enim tempestivius, & de die inibantur. de die autem fieri convivia dicebantur, quæ de meridie fiebant. tunc enim dies *ἡμέρη ἐξ ὀχλῶ* sumitur pro meridie. ut de mane aliquid fieri dicebant, quod mane fiebat: sic de die, quod meridie. hinc Ciceronis dictum in homines gulæ & ventri deditos, de die & in diem eos vivere.

corrigendus in hac re & loquutione Livius lib. xxv. *inde ubi id temporis visum, quo die epulatis jam, vique satietatis principium somni esset, signi unius milites ferre scalas iussit.* nihil illis corruptius. emenda: *inde ubi id temporis visum, quo de die epulatis, vini satias, principiumque somni esset.* quam lectionem partim conjecturæ nostræ, partim veteri libro qui Puteanorum est, acceptam refero. Sciendum est autem eos quos ibi de die epulatos scribit Livius, diem festum Dianæ egisse, & epulas tempestivas, ut festo die moris erat, celebravisse. quarum epularum tempori horam quintam, constitutam ferme fuisse video. Cicero in Pisonem: *Memini tunc canum, cum ad te quinta ferme hora cum C. Pisonem venissem, nescio quo è gurgustio te prodire involuto capite, soleatum?* inde est quod Cæcilianus quidam apud Martialem, ab ipso invitatus, ad quintam venerit, quæ statura erat hora convivi festi sumptuosique. Juvenalis:

— *jam nunc in balnea salva
Fronte licet vadat, quamquam solida
hora supersit
Ad sextam.* —

Hora igitur quinta vel sexta epulari, hoc de die epulari vocabant, & convivia illud horæ agitata, tempestiva dicebantur, ut jam notum fecere pluribus eruditi viri. quorum nihil non est probandum præter illud, quod convivia tempestiva & intempestiva sic distinxerunt, ut tempestiva diurna fuerint, intempestiva autem nocturna. Atqui nunc doceo intempestiva

convivia nulla extare in veterum libris, nisi vitio librariorum, ubicumque enim mentio fit intempestivorum, eam intempestive fieri putandum est, & tempestiva reponi debere. quid enim? an non tempestiva convivia, ut temporius iniri, sic & serius finiri de more fuit? adeo quidem, ut etiam in ultam noctem protraherentur, & usque ad galli cantum. ira mos enim in istis festorum hominum dierumque epulis, & temporius discumbendi, & nonnisi multa jam nocte de convivio surgendi. & inde illis nomen à tempestiva commissione. locus Livii supra nobis allatus & emendatus: *inde ubi id temporis visum quo de die epulati, vini satias principiumque somni esset. quod tempus multum protracta jam noctis fuisse colligi potest ex Livio. quo tempore, ut apud eundem sequitur, magna pars in turribus epulati, aut sopiti vino erant aut semigraves potabant.* Silius de Campanis:

— medioque dierum

Regales epulae, atque ortu convivia solis

Deprehsa. —

vides de die eos epulatos, oriente sole in eodem statu bonos propugnatores deprehsos. Cicero in Pisonem: *ubi galli cantum audivit, acum suum revixisse putat, mensam tolli jubet.* à medio die, ad mediam noctem tracta, ea dicuntur tempestiva convivia. Suetonius de Nerone: *epulas à medio die ad mediam noctem protraherat.* falsa igitur viri doctissimi sententia existimantis convivium tempestivum, de diurno tantum debere intelligi. quod si verum esset, idem sane convivium & tempestivum & intempestivum simul recte diceretur. tempestivum quidem, quod temporius iniretur: intempestivum vero, quod in noctis intempestæ tempus protraheretur. nec dubium est, quin si ita acceperimus, convivium tempestivum & intempestivum idem sit. nam ex his quæ diximus satis constat diei noctem conjunxisse veteres in il-

lis suis tempestivis epulis. sed tempestivum convivium dicendo, satis intelligitur intemperantes epulas eo nomine significari. non enim aliter agitabantur illa convivia quæ tempestiva dixere. *intemperantes epulas, & intemperantes perpotationes* apud Cicero nem sæpe dicuntur. utrumque igitur, & intemperantia & intempestiva etiam fuere, illa tempestiva convivia. sed intempestiva nunquam dicta. quare emendandus Suetonius in Caligula: *Senatum populumque obsequio edicto, quod Casare præliante intempestiva convivia, circum & theatra & arenas successus celebrarent.* nam tempestiva convivia ibi reponenda. sic apud Cicero pro Muræna, *tempestiva convivii non intempestivi* scribendum. & apud alios auctores quibuscunque locis habentur illa intempestiva, semper in convivia tempestiva mutanda sunt. si luberet argutias dicere de hac voce *intempestivum*, ostenderem inepte & improprie & plane intempestive convivii eam adplicari, quantumvis nocturnis, & intempesta nocte agitari solitis. intempestive fieri, & intempestivum id esse dicitur quod importunum est & molestum. intempestiva convivia quomodo interpretaberis? an molesta & importuna? quibus? non opinor convivii qui illa agitant. utrum quod intempesta nocte celebrantur, & non sua hora fiant? quare non potius ea sic appellata sunt, quæ medio die celebrantur? non enim hæc erat hora solita convivii. *intempestivum* autem id omne dici puto, quod non suo tempore agatur, sive citius sive serius id agrediariis, sive noctu, sive interdiu. Ulterius progrederer, sed hæc non tanti sunt. jam tamen, ut puto, satis intelligis ex his quæ diximus, nullam nisi in vitio & intempestivam, usquam extare convivii intempestivi mentionem. imperiti enim librarii & correctores non peritiores cum in convivii tempestivi mentione viderent etiam memorari perpotationes in noctem usque productas, & per-

& pervigilandi libidinem, convenientius esse duxerunt convivia id genus, & illud horæ usurpata, inrempeſtiva appellari quam tempeſtiva. cujus vocabuli rationem notionemque minime percipere poterant. Fallitur etiam idem vir doctiſſimus, cum ſcribit labente imperio moribusque nonam cænæ haberi cæptam, quæ prius erat decima. nam illo ipſo tempore, quo dixit, inclinantis reip. decima tantum hora vel etiam ſerius cænabant homines actioſi, & in re ſua vel publica occupati. Martialis lib. x. epigr. 1xx.

Bæna poſt decimam laſſo, centumque petuntur

Quadrantes. quando fiet amice liber?

& lib. vii. epigr. 1.

Hanc licet à decima, neque enim ſatis ante vacabit,

Sollicitus; capiet cænula parva duos.

& lib. iiii. epigr. xxxvi.

Laſſus ut in thermas decima vel ſerius hora

Te ſequar Agrippa, cum laver ipſe Titi.

alia quamlibet multa poſſem exempla congerere hora decima lavantium cænantiumque, hominum præſertim in officiis aliisve negotiis occupatorum. at Ciceronis etiam tempore, non minus quam Martialis plerique omnes, & præcipue non valde negotioſi ab hora nona cænā inibant. Philodemus quodam epigrammate nondam edito, Piſonem invitans ab hora nona eum adſe iubet.

Ἀγεῖον εἰς λιτῶν σε κελιάδα, φίλ-
τος Πείσων,

Ἐξ ἐνάτης ἔλκε μασοφιλῆ ἕτα-
ρον,

Εἰς δὲ δευτέρων ἐνιαύσιον —

ad quem locum nos plura, cum editionem illorum epigrammatum dabimus, jam diu promiſſam, & pridem paratam. Non prætermittendus autem error ejuſdem illius viri, qui piſicos illos Romanos ſole occaſo cibum ſumpſiſſe obſervat. an quod ad vesp̄eram eos cænare conſueviſſe ſcri-

bunt auctores? ita eſt. ſic enim vesp̄erum pro cænā poſitum Plauto legere eſt: & de ſuo vesp̄eri cænare. ſic paſſim Grammatici cænā, vesp̄ertinum cibum exponunt. veteres tamen illi caſcique Romani non alia hora cænabant, quam recentiores iſti, quibus hora convivii ſollemnis & legitima decima fuit. nec enim pro temporum diverſitate, ſed pro hominum conditione varia fuit hora cænandi. ſtata quidem & legitima fuit decima. ſed eam anticipabant, & præveniebant homines otioſi, & gulæ dediti at negotioſi actioſique καὶ ἀειπαλῆς vel in ipſa vel poſt eam, cænā inibant, ad vesp̄eram ſcilicet inclinato die. quod labente die dixit Virgilius:

Atque eadem labente die convivia quaerit.

ubi notat Servius veteres prandiorum uſum ignoraviſſe, & ad vesp̄eram cænaviſſe. non hoc ille voluit, quaſi veteres ad vesp̄eram cænaverint, non etiam ſui ſæculi homines: ſed ſignificat, veteres cum uſum prandiorum ignorarent, & minime pranderent, nihilominus tamen ad vesp̄eram uſque impranſos manſiſſe, nec maturius ac temporius cænaviſſe, quam recentiores, qui prandebant. Statius horam cænæ ſuo tempore moriente die fuiſſe indicat.

Ac moriente die rapuit me cænabati Vindicis.

quis vero ignorat Stati atate horam cænæ decimam fuiſſe legitimam? Horatii ævo non alia fuit. ſic tamen ille ſcribit:

— vesp̄ertinumque pererro

Sæpe forum, aſiſto divinis, inde domum me

Ad porri & ciceris refero, laganique catinum

Cænā miniſtratur pueris tribus.

idem epist. vi. lib. i.

Gnaeus mane forum, vesp̄ertinus pete te cænam.

idem alibi:

Si vesp̄ertinus ſubito te oppreſſerit hoſpes.

nemo autem ignorat atate Horatii horam

horam convivii nonam & decimam
 fuisse. Festus: *cæna apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium; vesperna, quam nunc cœnam appellamus.* quæ vesperna veteribus, ea recentioribus cæna fuit. eadem autem utriusque hora, nempe vespera. Ex his omnibus satis constat frustraneam & nihili esse distinctionem quæ tempus cænæ apud veteres, pro temporum diversitate diversum fuisse statuit, & primo quidem præcos Romanos ad vesperam cænatare, postea ad decimam cænari cæptum, deinde labentibus moribus ad nonam. nos unam eandemque horam cænæ semper fuisse Romanis, satis aperte, ut puto, demonstravimus, eamque non longe ab occasu solis. Sol enim post undecimam occidebat, & ante duodecimam, quæ ultima hora diei veteribus erat, postquam incipiebat prima noctis. nunquam autem in horologiis solariis ultra undecimam notata horæ. nam sol ad duodecimam non perveniebat. igitur qui post decimam cænabant, una hora fere solis occasum præcipiebant. hinc Antoninus Philosophus, qui studiosissimus corporis curandi erat, & diligens horarum observator, longis diebus quidem occidente sole circa corporis curam versabatur, un-

gendo, lavando & cænando; longissimis vero, nona aut decima. Narrat Galenus lib. vi. ὑμεινῶν: ὁ γὰρ ἀν' ἰσθμῶν αὐτοκρατορῶν ἐτοίμαζεν ὡς πρῶτον τὸ σῶμα ἐπιμέλειαν ἀφ' ἡμέρας ἄντωνιν ἐν ταῖς μακροῖς ἡμέραις ἤλκε δυνάσσει εἰς τὴν παλαιστρὰν παρελθόντες, καὶ δὲ ταῖς μεγίσταις ὥραις, ἢ τὸ πλεῖστον ἰ. at Martialis legitimam palæstræ horam facit octavam:

— nitidis octava palæstris.

eadem & hora balnei: sed quam pro libidine sua, aut negotiorum necessitate modo anticipabant veteres, modo, ut cum Mamertino loquar, posticipabant. de quo nos alibi accurate. sed priusquam hinc abeo, non omittam monere, de errore doctissimi viri, qui de die potare apud Plautum interpretatur, à prima luce potare, quod confirmat testimonio Horatii:

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

scilicet ut tunc temporis surgant latrones ad homines jugulandos, quod nondum homines dormiunt. quod est ridiculum. de die, est de medio die, ut supra explicavimus. sic de nocte, pro, de media nocte dicebant. tunc enim maxime nox aut dies esse intelligitur, quum media sunt.